

phemix patrociniū, & malè, quemadmodum docet Augustinus libro 20. contra Faustum cap. 3. Schismaticus igitur est is, qui retenta fidei vera doctrina, eaque tota, sine probabili tamen & meliori ratione honestos illos & decoros Ecclesix ritus non sequitur quasi sit ille vnus tota ipsa Ecclesia sapientior, aduersus quem afferri certè debet quod ait Paulus, I. Cor. 7. v. 36:14. versu 40:11. v. 16.

Paganus, siue Gentilis, & à schismatico, & ab hæretico distat. Est autem is Gentilis, qui nullo sacrorum librorum vinculo & religione tenetur, neque se vllō modo aut sacramento Ecclesix, fideique Christi obstrinxit, vt definit Augustinus lib. 11. contra Faustum cap. 2. Sacras enim Scripturas Paganus non recipit, quia nullam Christo fidem dedit. Vnde ex Trismegisti, Platonis, Sibyllæ testimoniis potius, quàm ex sacra Scriptura est reiiciendus, vt est in libro contra Iud. & Paganos. Sic Arnobius, sic Lactantius contra Paganos disputarunt. Hæreticus autem sacras Scripturas admittit, & nos ad eas provocat, etsi sæpe eas ex parte truncat, nec omnes *ἐν δὲ ἰαθῆκου γραφῆς* libros recipit, sed tantum quosdam ex iis, quod fecerunt Marcionitæ, & Manichæi. Eatenus autem diuinæ Scripturæ credunt Pagani, quatenus humanæ rationi consentanea videri potest. Augustinus De utilitate credendi, capite 14. Alia verò fidei dogmata ingenij humani *ἐρονήματα* repugnantia spernunt & irrident.

Iudæus religione est, quicumque veteris tantum Testamenti scripta recipit, & ex eo ceremonias adhuc retinet. Nouum enim omnino damnant & reiiciunt Iudæi. Itaque etsi Messiam aliquem promissum esse Patribus suis agnoscunt, & fatentur exhibi-

exhibi-